





2659

1765, 8.
No. 4238

SPECIMEN
CONTINENS
CAPVT IVRIS CONTROVERSVM
DE
TVTORE AVT CVRATORE
FILII FAMILIAS IMPVBERIS
VEL MINORIS

QVOD
ILLVSTRIS ICTORVM ORDINIS GRATIA
PRAESIDE
D. CHRISTIANO HENR. BREVNING
PROFESSOR. PVBLIC. ORDIN. IVR. NAT. ET GENT.
ET SOCIETAT. LITER. DVISEVVG. SOCIO
IN AVDITORIO PETRINO
DIE XXIII. MART. ANNO MDCCCLXV.
PVBLICE DEFENDET
CHRISTIANVS GOTTLIEB BEYER
COBVRGO-FRANCVS.

L I P S I A E
EX OFFICINA LANGENHEMIA.



8. f. 1
SPECIMEN
CONTINENS
CAPUT IVRIS CONTROVERSAM
DE
TITORE AVT CVRATORE
FILIUM FAMILIAS IMPVBERIS
VEL MINORIS
6. 0. 0.
ILLVSTRIS ICTORVM ORDINIS GRATIA

P R A E S I D E
D. CHRISTIANO HENR. BRVNNING
PROFESSOR PVBLC ORDIN IVR NAT ET GENL
ET SOCIETAT IVRIS NATVRAE SOCIO
IN AVDITORIO PETRINO
DIE XXII MART ANNO MDCCCLXX
P R A E S I D E
CHRISTIANVS GOTTLIB BEYER
C O S T I T U T I O

J. P. S. A. E.
EX OFFICINA LANGENHEIMIA



D E


TUTORE AVT CVRATORE
FILII FAMILIAS IMPVBERIS
VEL MINORIS.

§. I.

Paradoxon videtur *filium familias esse, et tutorem habere,* cum vix eo egere potest, qui sub Patria est adhuc potestate. Neque aliter videbitur, siue ex Romano Iure, siue ex Patrio consideres. At vero incidit in manus meas thema, quo magistratus impuberi cuidam filio et sub Patria potestate adhuc existenti, contradicente quidem patre, tamen *tutorem* dederat. Consultus tamen a Patre, vix potui in ea specie magistratus consilium reprobare, quamvis si vtriusque iuris et patrii et peregrini sententias introspexeris, vix iniuste egisse videtur. Caue ergo credas, nos regulam hic generalem statuere, ex qua tutor filio familias impuberi a magistratu dari possit semper, sed exceptionem tantum aliquam diiudicemus, quo magistratum, qui videtur imminuisse patriam potestatem, excusemus.

§. II.

Tutoris officium, eiusque natura satis nota, descriptaque est, vt haec principia non addenda videantur, nisi quae ad rationem thematis nostri spectant. Tutela quidem *Servio I* Cto erat vis ac potestas in *capite libero*, vt habet PAVLVS in *L. i. §. de tutel.* At vnde habebis liberum caput in filio familias, qui ratione patris res est, nec in ipsis tabulis censualibus caput constituit, sed inter bona familiamque patris consignatus. Si ita est, facile patet, filium familias, cum non sit *caput liberum*, tutorem habere non posse. Nec sane eget: nam cum ad tuendum defendendumque praecipue detur tutor ei, qui per acta-



tem se tueri ac defendere non potest, is, qui adhuc sub patria potestate est, non eget defensore, quippe patris est officium, ut suos natos tueatur, atque defendat. Praeterea nec aliter sentimus Iure Germanico. Qui enim est sub *Mundio* patris est, is non eget *Vormund*, seu qui patris loco mundium exercet.

§. III.

At vero negandum non videtur, interdum fieri posse, ut qui adhuc sub patria potestate est, nihilominus *tutore* egeat, aut si maus *curatore*, qui tutoris officia gerat. Cum enim, ut supra diximus, thema forense tractandum cepimus, perinde erit an tutorem, an curatorem dixeris, qui nos in foro non distinguimus, neque quidem his ex Romanorum Iure separatis officiis separata nomina habemus, ut recte docuit GAERTNERUS *Illustr. diff. inter impubere et minorem, tutorem et curatorem Iure German. non distingui*. Fac itaque patrem esse factum furiosum, vel in morbum fonticum gravissimum incidisse, vel captivum factum maxime si in earum gentium potestatem venerit, inter quos vera illa antiqua hominum servitus frequentatur: vel abiisse ex patria nemine sciente quorsum venerit. Sit, ut habeat liberos impuberes, qui egent educatione. An hos indefensos relinquamus in republica. Non ergo dubium videbitur, magistratus officium in hoc versari, ut, cum inter sit reipublicae, ut boni educentur ciues, etiam prospicere iis impuberibus, qui quidem sub patria potestate positi, at quorum educationem pater ipse curare nequit, constituendo curatores, qui hanc educationis curam suscipiant. Habebunt ergo liberi, qui adhuc sub patria potestate positi sunt, curatores, seu quod rei magis convenit tutores, qui vice patris educationem curant atque suscipiunt.

§. IV.

At vero obstare videtur huic sententiae sententia VLPIANI in *L. 6. §. 4. n. de tutelis*. Scripsit enim ICtus: *Ei, cuius pater in hostium potestate est, tutorem dari || non || posse, palam est. Sed si datus sit: an in pendenti sit datus, quaeri potest, et non puto dationem valere. Sic enim post patris regressum recidit*


in



in potestatem, atque si nunquam pater ab hostibus captus fuisset. Quid clarius dici potuit, quam patrem captiuum habenti, tutorem dari non posse. Patet ex postliminii iure iudicasse *Vlpianum*: nam quamuis captiuitas in iusto bello, tanquam capitis deminutio ius ciuitatis Romanae simul tolleret cum libertate, eoque amisso, patria potestas, quae, vt *Imp. IUSTINIANO* in §. 3. l. de patr. potest. visum est, ius est proprium ciuium Romanorum, amitteretur; tamen fictio illa iuris postliminii efficiebat, vt nunquam amissa videretur haec potestas. Hinc ei, qui sub patria potestate erat, tutor dari non poterat, sed vt ipse *VLPIANVS* c. l. asserit: *Imo curator substantiae dari debet: ne in medio pereat.* Negat itaque tutorem ex subtilitate illa Romana, concedit vero curatorem. Nos, qui ex forensi iure disceptamus, parum huic subtilitati inhaerentes, *Wormund* dicamus, idque ex patriis moribus, maxime exinde, quod vice patris suum ius exercet publica autoritate, constitutus sc. a magistratu. Sic illa subtilior *Vlpiani* opinio, nostrae sententiae obesse amplius non videtur.

§. V.

Titius testamento suo ita cauit: *CAIO TITIO C. F. DomiNI LEGO CENTVM EA LEGE: NE EX HIS CENTVM PATER VSVMFRUCTVM HABEAT. QUARE VOLO, VT MAGISTRATVS CAIO FILIO CURATOREM ALIVM CONSTITVAT, QUI HAEC CENTVM ADMINISTRET.* Quis dubitat *Caium* filium familiae curatorem accipere, non obstante patria potestate. Res absque omni dubitationis alea posita erit, si sequamur ipsum *IUSTINIANVM* in *Novel. CXVII. cap. 1.* Adscribamus ipsa *Novellae* verba ex vulgata versione illa in foro recepta: Postquam de hoc legato sub prohibitione, ne pater habeat vsumfructum Imperator statuerat, hoc non solum parentibus, sed omni personae licere, ad nostrum thema pergit: Si vero aetate minores sint, per quem prospexerit testator aut donator, haec gubernentur, donec illi, quibus donata sunt aut relicta, ad perfectam aetatem veniant; licentiam habente testatore vel donatore, et matri, et aviae horum, quibus res collatae sunt, ipsarum rerum si voluerint, gubernationem committere caet. et dein: Si vero forsitan is, qui reliquit



*liquit aut donat, nullum his dispensatorem ordinaverit, aut ab eo datus huiusmodi gubernationem subire noluerit, aut moriatur, antequam illi perfectae sint aetatis, iubemus IUDICEM COMPE-
TENTEM curatorem fide dignum cum legitima fideiussione rebus
talibus ordinare, qui debeat relictam talibus personis substantiam
gubernare, atque custodire, donec ad perfectam aetatem per-
ueniant.*

§. VI.

Pergamus ad aliud thema. Fingamus MOSEM Iudaeum fi-
lium habere sub sua potestate impuberem, quem baptisandum
offert ecclesiae, vel qui, quod pubertati est proximus ipsemet
petit baptismum, quem, quod imbutus religionis Christianae do-
ctrinae dogmatibus, ei nullo iure negabit ecclesia. Certum est pa-
triam potestatem amplexa religio Christiana non tolli, nulli-
bi enim inter soluendae patriae potestatis modos religio depre-
henditur. At quis huius impuberis educationem ipsimet Patri
Iudaeo committat? Necessse ergo videbitur personae filii fami-
lias tutorem dare, qui illius educationem in religione, quam vel ex
patris arbitrio, vel ex interno quodam impulsu amplexus est,
curet, salva manente patria potestate.

§. VII.

Iuris est, vt, si filius familias materna bona habeat, vel ali-
unde quaesita, non ex re patris, vel intuitu patris, aduentitium
peculium dicunt, pater in his bonis habeat usumfructum, et ad-
ministrationem salvo proprietatis iure filio familias manente.
Quo vero filius familias securus sit, ne aduentitii peculii iactu-
ram patiat, *tacitam hypothecam*, ipsae leges eidem concesserunt,
a tempore administrationis bonorum aduentitiorum compu-
tandam. Ita in *L. 6. §. 4. C. de bonis quae liberis* IUSTINIA-
NVS causam confirmavit. *Sed cum tacitas*, inquit, *hypothecas*
tam veteres leges in quibusdam certis casibus, introduxerunt,
quam nos in maternis, caeterisque donationibus, quos seruare ne-
cesse est, et dubitabatur, ex quo tempore hypothecas competere oportet,
utrumne ab initio, an ex eo tempore, ex quo male aliquid ge-
stum est, compendiosa narratione interpretamur, initium gerendae
vel deferendae administrationis vel obseruationis esse spectandum,

et non tempus, ex quo male aliquid gestum fuerit. Habent ergo liberi tacitam hypothecam in bonis patris, sub cuius potestate sunt, aduentitiorum suorum causa. At si pater inops sit, nec bona habeat, in quibus possit filio esse securitas, hic vero amplissimum habeat aduentitium peculium: quid iuri conueniat. Patrine ergo cuncta relinquamus filii bona aduentitia nulla amplius securitate filio constituta? Sane Legum intentioni contrarium videtur. Ipse enim Leges hypothecam in bonis patri constituerunt, cuius statuti nullam aliam habuere rationem, quam hanc, ut salua voluerint seruari bona aduentitia. Si itaque haec ipsa securitas, quam lex statuit, non adsit, alio modo cauendum erit patri, quo liberis prospiciatur. Quare, si magistratus curatorem constituat, saluo patrias potestatis iure, qui praefixita idonea cautione bona administret, non videtur mihi magistratus contra Legum autoritatem quidquam egisse. Et ita in foro actum gestumque esse scio, quidquid pater, ne id fiat, pro suo patris iure adduxerit, quantumque ex romano iure cecinerit, iis, qui sub patria potestate sunt, tutores dari non posse. Salua enim hac tutoris datione, s. curatoris manent patria iura, quippe constitutus curator tantum administrat peculium aduentitium, patrique rationes exhibet, ipsumque vsumfructum ex peculio collectum eidem tradit. Male itaque magistratui iniustitia imputabitur, maxime ex Germanorum iure, cuius, qui supremam gerit tutelam in suo territorio, est, ob finem ciuitatis, prospicere, ne, qui bona habeant, adeo parentum improbitate, atque prodigalitate ad egestatem perueniant.

§. VIII.

Est et aliud thema, quod ex antiquis Germanorum legibus petendum videtur, quamuis Romana sapiat iura: Continet illud LEX WISIGOTHORVM Lib. IV. Tit. II. cap. XIII. Scilicet agit de ea specie: Si marito superstiti moriatur vxor filiosque ex eodem coniugio progenitos habeat, retineatque in potestate, ex horum bonis (aduentitiis) vsumfructum habeat, saluo liberorum iure, seu ut ait lex: *omnia filiis suis integra et intermerata conseruet*. Iam si nouercam superinducat, an retineat quoque liberorum prioris coniugii bonorum aduentitiorum administrationem: Audiamus ipsa legis verba: *Quodsi pater nouercam*



cam superdlexerit, quia valde indignum est, vt filii eius patris potestate vel gubernatione relicta in alterius tuitionem deueniant, filios suos pater ille, qui nouercam induxerit, non relinquat, sed filios et res eorum iuxta superiorem modum tuitionis, ordine regat; ita tamen, vt inuentarium de rebus filiorum suorum manu sua conscriptum coram iudice vel heredibus defunctae mulieris, strenue faciat, et tali se placiti cautione in heredum illorum nomine constringat, quibus tutela ipsa pertinere, si pater defuisset, legitime poterat: vt nihil de rebus filiorum suorum euertat etc. Quod si pater ipse, qui nouercam duxerit, tuitionem filiorum suscipere noluerit, tunc a iudice propinquior ex matre tutor eligendus est, qui tuitionem pupilorum accipiat. Quare concludo, si pater saltem bonorum maternorum administrationem respuat, pariter iudicis erit, tutorem liberis impuberibus constituere, qui bona administret.

§. IX.

Ex hac ipsa L. WISIGOTHICA c. l. aliam speciem dabimus. Ait: *Qui autem nouercam superdlexerit, omnes facultates maternas filiis mox reformet.* Videtur his verbis ille mos contineri, qui patriis adhuc conuenit iuribus et consuetudinibus, vt antequam coniux ad secunda adspiret vota, cum liberis prioris coniugii conueniat de portione ex defuncti coniugis bonis constituenda. Sicut enim in superstitis parentis arbitrio positum non est, vt quae uelut, tanquam paterna maternaue bona concedere, nisi ex sola liberalitate liberis, quid concedat, a defuncta parte nullis bonis relictis, sed quid iuri conueniat: dubitare nemo poterit, et patrem petere posse curatorem liberis familiae maternae eriscundae causa magistratum idare, quo liberis prioris coniugii materna constituantur saluo praeterea patriae potestatis nexu. Quare non uidetur satis distincte mihi respondiſſe LEYSERVS in *Med. ad ff. Sp. XXI. Med. §.* qui emancipatos putat a patre liberos fieri, si iis tutorem aut curatorem petat. Sane potius distinguendum arbitrarer: si ad singularem aliquam causam suis petat curatorem liberis, qualem proposuimus, nunquam emancipatos fore arbitrarer, cum patris haec non fuerit intentio. At si in genere petat: huius accederem opinioni. Essent alia themata, quae addenda, si plagulae spatium permitteret, sed iam haec praetermittimus.

T A N T V M.



ULB Halle
005 423 643

3




SB

7 felder







0.659

1765,8.
No: 4238.

SPECIMEN
CONTINENS
CAPVT IVRIS CONTROVERSVM
DE
TVTORE AVT CVRATORE
FILII FAMILIAS IMPVBERIS
VEL MINORIS
QVOD
ILLVSTRIS ICTORVM ORDINIS GRATIA
PRAESIDE
D. CHRISTIANO HENR. BREVNING
PROFESSOR. PVBLIC. ORDIN. IVR. NAT. ET GENT.
ET SOCIETAT. LITER. DVISVVRG. SOCIO
IN AVDITORIO PETRINO
DIE XXIII. MART. ANNO MDCCCCLXV.
PVBLICE DEFENDET
CHRISTIANVS GOTTLIEB BEYER
COBVRGO - FRANCVS.
L I P S I A E
EX OFFICINA LANGENHEMIA.

